

Articulus Ascensionis Christi in cælum, & sessio-
nis ad dextram Dei patris: Imò Christo talis in-
firmitas ascribitur, cui non Angeli: quippe qui
semper vident faciem cœlestis patris. Matth. 18.
10, non beati cælites subjacent, ut qui à facie ad
faciem intuentur D E V M sicuti est, i. Ioh. 3. 2.
130. 9. Fingitur hoc ipso sacrificio, è pur-
gatorio igni (qui forsitan est in Utopia: neque
enim est vel in, vel extra Cælum aut terram,) liberari,
quisquis certâ pecunia summâ certum
Missarum, post mortem suam peragendarum,
numerum, redemerit. Pontifex igitur Romanus
omnium furum Rex meritò censendus, qui hoc
figmento universas fermè totius orbis Christiani
opes subdolè est suffuratus: ac proinde non
mundi hujus caduco & corruptibili: Sed aeterno
inferorum patibulo dignus; ex quo etiam certò
cum universa rasa sua cohorte suspendetur: &
omnis populus dicet Amen.

131. Nos his, & sexcentis alijs absurditarum mon-
stris, que Idolum Missaticum secum trahit, toto
pectore damnatis & rejectis. statuimus Missam
Pontificiam nihil esse aliud, quam excrementum
Satanæ, quo horrenda introducitur sanguinis
Christi profanatio: quo à Dei gratia, à merito
Christi, à via salutis regia, in errorum ac aeterna
damnationis devia, miselli abducuntur homi-
nes.

Ejusdem